

V I R O  
 NOBILISSIMO ATQVE PRAECLARISSIMO  
 ANDREAE CHARITIO  
 PHILOS. MAGISTRO CELEBERRIMO  
 AMICO OPTIMO  
 XAIPEIN.



*R*omanae Parens eloquentiae Platonem ad Architam scripsisse memoriae prodidit, (\*) non sibi se soli natum meminere, sed patriae, sed suis, ut per exigua pars ipsi relinquatur. Non inepte meo iudicio ita sensit vir, ὃ Δείος a veteribus appellatus. Nam si illius potissima ratio habenda est, a quo maximis beneficiis cumulati sumus, patria certe nobis dies noctesq; ante oculos versari debet, quae omnis nostrae prosperitatis radix atq; origo est. Quemadmodum enim ex fonte indefinente cursu aqua effluit, quae per terras diuisa agros fertilitate donat, sic & felicitas patriae ad ciues ipsos se diffundit, ita ut illa salua & incolumi, horum salus etiam  
 X fir-

(\*) L. 2. de Fin. S. 45.